



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 241. Quid sit illi faciendum, qui venit ex una in alteram Diœcesin, ubi non servatur idem stylus Calendarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

bus, uti fatetur *Sanch. dub. 31.* *Dixi*, non ideo permitti, quia posset aliunde secunda aut etiam multiplex refectio esse permissa, v. g. propter nimium debilitatis vel infirmas vires.

1270 §. 2. Si alicui permissa sit secunda refectio, putant *Fagund. Bonac.* & alii posse toties comedere, quoties vult, sed *Covarr.* & alii n. 1265. citati probabilius negant, quia fieri potest, ut uni secunda refectio sit tali die necessaria & non ulterior, potestque adhuc obtineri finis jejunii, qui est mortificatio carnis, secundam dicta ibidem n. 1265.

1271 Q. 241. *Quid illi sit faciendum*, qui venit ex una in alteram Diocesin, ubi non servatur idem stylus Calendarii. R. §. 1. Cum vetus Calendarium quandoque habeat Pascha v. g. octo diebus seriis quam novum, qui in Quadragesima inde veniret huc, ibi incepisset Quadragesimam octo diebus seriis, & hic haberet Pascha octo diebus maturius; hoc non obstante multorum sententia est cum Delbene de Imm. Eccles. c. 12. d. 2. f. 4. non teneri illo anno hic jejunare per illos octo adhuc dies, sed posse se accommodare moribus eorum, apud quos est; communicare tamen deberet pro Paschate, licet post tempus paschale hic transactum veniret, quia haec obligatio afficit personam, ut tempore isto communicet vel primo quoque. E contraria si hic prius absolvisset Quadragesimam, non teneretur postea ibi observare illos octo dies, quia Ecclesia tantum obligat ad unam Quadragesimam uno anno; & idem est observandum de diebus festivis, ita *Sanch. in Dec. l. 1. c. 12. n. 22.* *Delbene* supradicta & sect. 5. item alii cum *Busenb.* relato l. 1. n. 687.

1272 §. 2. Si hodie sit hic dies Cinerum, & Titius post

post 8. dies velit aliò proficisci , ubi tum priùs erit dies Cinerum , tenetur hìc jejunare , quia lex nunc hìc obligat , & ipse est hìc subditus , ergo tenetur lege . Si dicas , deo obligari pro nunc , quia postea observabit , sicuti quia serò audiam Missam , non obligor audire manè . Contrà est , nam non obligor determinatè manè vel determinatè serò audire Missam , sed hoc per Ecclesiam relictum est meæ libertati : E contrà ostendi non potest , cur & unde mihi libertas esset jejunandi , ubi vellem , & me hìc eximendi à lege nunc obligante . Si tamen jejunaverim hìc per 8. illos dies , non tenebor ibi prosequi nisi alios 32. , quorum ultimus respondeat nostro Paschiati , quia tum absolveto Quadragesimam .

Q. 242. Quid notandum fit circa vigiliam S. Matthiæ vel S. Joannis : item circa abstinentiam festo S. Marci . *R.* Justa causa est , cur Episcopus dispenset ad vitanda scandala & peccata populi , si vigilia S. Matthiæ incidat in unum diem è Bacchanalibus , ita Laym . l . 4 t . 8 . c . 3 . n . 8 . Castrop . t . 25 . p . 2 . § . 5 . n . 12 . Gob . & alii : Nec dissentit Dian . p . 3 . t . 6 . R . 66 . , quamvis p . 10 . t . 16 . R . 7 . afferat Gav . & Leand . in contrarium . Si autem festum S. Matthiæ incidat in diem Cinerum , statutum est in Diœcesi Coloniensi , Monasteriensi , Viennensi aliisque , auctoritate Ordinarii , ut jejunium etiam à Religiosis anticipetur in priore Sabbatho , (: & idem est , si festum incidat in diem Martis :) festum autem in foro observetur in die Cinerum , & in choro postridie : Vigilia autem S. Matthiæ manet affixa suæ diei , quia non est causa hanc transferendi , & ab ea separari potest jejunium . *Gav.* in Rub . brev . f . 3 . c . 7 . n . 3 . Quòd si festum S. Matthiæ incidat in diem Veneris ante quinquagesimam , Agenda

Eee 5

Mona-